



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Primarii
Professoris Wiederlegung Der vnchristlichen vnd
vnbilligen Verleumbdungen/ damit Jhn D. Iacobus VVeller
ChurSächsischer Oberhoffprediger ...**

Calixt, Georg

Helmstedt

Benevolo Lectori S. D. Georgivs Calixtvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36653



BENEVOLO LECTORI

S. D.

GEORGIUS CALIXTVS.

Quæ hîc in usum studiosæ iuventutis dedi-
mus, Benevole lector, pro tuâ comitate bo-
ni ut consulas oro. Voluisssem jungi quæ
græca sunt & græcè exstant: sed typhotheta
caussabatur brevitatem & obscuritatem
dierum brumalium non esse idoneam colligendis & con-
jungendis græcis typis. Potest tamen fieri, ut brevi pro-
deat editio, quæ exhibeat non saltem antiquissima illa,
quæ hîc exstant latinè, singula suo idiomate, sed etiam
recentiores insequutarum synodorum confessiones com-
plectatur. Vnum adhuc addo. Fateor & profiteor,
me eos, qui baptizati in nomen Patris, Filii & Spiritus
sancti, fidem hætenus sive contractiùs sive prolixiùs
expositam sincerâ mente recipiunt & amplectuntur, &
interea abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus
temperanter, justè & piè vivunt in præsentè seculo, ex-
spectantes beatam spem & illustrem illum adventum glo-
riæ magni Dei ac servatoris nostri Iesu Christi; & etiam-
si ex erroribus aliquibus sese extricare nondum possint,
nullos tamen contra conscientiam suam adserunt aut de-
fendunt; hos, inquam, fateor me impulsam caritate, quâ
F Chri-

Christum prosequor & prosequi teneor, hanc ipsam ob
causam, quod eum verum Deum verumque hominem &
redemptorem suum mecum agnoscunt, & una cum Patre
& Sancto spiritu venerantur & adorant, seque per eius
meritum & mortem servari credunt; hos, inquam, omnes
quocumque tandem in quocumque loco vel angulo, sive prope
sive procul fuerint, fateor ego & profiteor me caelestis
Patris & Ecclesiae catholicae filios agnoscere, & offero
eis amorem, benevolentiam, studia & officia, quae Chri-
stiani Christianis & filii unius ejusdemque patris sibi mu-
tuo debent, reapse demonstraturus affectum, quando-
cumque se obtulerit opportunitas, operam quoque quantam
umquam possim, daturus, ut eis errores, praesertim si pe-
riculosi sint, & dissidia alant vel stabiliant, eximantur,
& inter se animi fidelium Christi, remotis obstaculis,
germanam dilectione & fida communione uniantur. Cum
hoc animo, hoc desiderio, hoc studio coram Christo Do-
mino & Deo meo, venturo cum gloria vivosque & mor-
tuos judicaturus, comparebo. Cum diverso vel contra-
rio adsit, meamque istam ~~depravatam~~, affectum & conatum
impietatis, atheismi, syncretismi & Samaritanismi ac-
cuset, cuicumque visum fuerit. Scripsi in academia Lu-
liana, anno MD C XLIX, die XIV Decem-
bris, natali meo LXVI.

es) o (es

DESI